

cat ipsam adjuvantem gratiam cooperari nobiscum, ac subinde esse cooperantem. De gratia vero excitante dicit fieri ab Spiritu Sancto, in nobis per illam inchoante nostram salutem, quod pertinet ad gratiam operantem; ergo plane sentit has gratias esse easdem.

6. *Idem probatur ratione.*—Declaratur tandem ratione, quia voluntas nostra, ut supernaturaliter operetur, non indiget nisi ut prius a Deo præparetur, et postea juvetur: ergo tantum indiget duabus gratiis actualibus, quæ illa duo munera præstant, etsi variis nominibus appellentur. Deinde gratia operans vocatur, quam Deus solus in nobis facit, id est, sine efficientia nostra libera; cooperans vero dicitur gratia, quam Deus facit nobiscum, ut patet ex Augustino citatis locis, et inter sententias ejus ponitur vigesima-secunda, quæ habetur etiam in Arausicano, canon. 9. Sed illæmet proprietates conveniunt gratiæ excitanti et adjuvanti, ut ex supra dictis constat; ergo. Denique Deus non dicitur operari in nobis, nisi inspirando, illuminando, et mentem bonis affectibus imbuendo, ut dixit Prosper libro secundo de Vocat. gent., capite nono, alias vigesimo-sexto; sed per eosdem motus gratiæ excitat mentem nostram. Ergo non distinguuntur in re prædictæ gratiæ.

7. *Altera ratio ex persona.*—Ratio vero omnium reddi potest ex D. Thom. 1.2, quæst. 111, art. 2, dicente motum qui est in mobili, tribui moventi: nostram autem mentem ad Deum, ut ad moventem cooperari, et ideo quando mens nostra est mota et non movens, utique libere, solus autem Deus est movens, operatio Deo tribuitur, et secundum hoc dicitur gratia operans; in illo autem effectu, in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum tribuitur Deo, sed etiam animæ, et secundum hoc dicitur gratia cooperans. Atque ita gratia dici potest operans, vel respectu causæ suæ, quia a solo operante fit, quod est satis consentaneum modo loquendi Augustini; vel dici potest operans respectu effectus per illam intenti, qui est liberum velle hominis, nam Deus per illam operatur, ut velimus. Excitans autem nominatur, vel ab effectu quasi formali quem in nobis habet, vel per illam vocem explicatur modus, quo per talem gratiam Deus operatur ut velimus, scilicet excitando mentem, et moraliter illam inducendo. Voces autem adjuvantis et cooperantis gratiæ, satis inter se similes sunt, tamen per unam declaratur necessitas et indigentia talis gratiæ ex parte hominis, nimirum infirmitas, quæ juvanda est; per al-

teram vero declaratur necessitas humanæ cooperationis, sine qua illa gratia non operatur.

8. *Quomodo gratia operans et cooperans inter se et in ordine ad actus comparentur.*—Tertio, dicendum est operantem et cooperantem gratiam quoad necessitatem, distinctionem et unitatem, ita inter se et ad actus humanos supernaturales conferri, sicut excitans et adjuvans ad eosdem actus et inter se comparantur. Hæc assertio sequitur evidenter ex dictis, quia si gratia operans est eadem quæ excitans, non potest plus vel minus distingui, quia etiam adjuvans et cooperans non distinguuntur inter se. Et eadem ratione non possunt esse minus necessaria gratia operans et cooperans ad pietatis opera, quam gratia excitans et adjuvans, eo quod inter se non distinguuntur. Unde, sicut supra diximus excitantem gratiam ad opera pietatis requiri, ita dicendum est de gratia operante, quod etiam de cooperante per se evidens est. Et manifeste utrumque probatur ex testimoniis Augustini proxime allegatis, præsertim lib. de Grat. et lib. arbitr., capite decimo-sexto et decimo septimo, et ex lib. de Dono persever., capite decimo-tertio, ubi ait: *Nos volumus, sed Deus in nobis operatur et velle: nos operamur, sed Deus in nobis operatur et operari pro bona voluntate.* Hæc namque locutiones indefinite limitari a nobis non possunt, et ideo universalibus æquivalent, quod clarius expressit Concilium Arausicanum, capite nono dicens: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.*

CAPUT XXI.

OBJECTIONIBUS OCCURRITUR, ET VARIE SENTENTIÆ DE OPERANTE ET COOPERANTE GRATIA ATTINGUNTUR.

1. *Prima objectio.*—*Gratia habitualis dicitur operans et cooperans.*—Circa doctrinam superioris capitis nonnullæ difficultates occurrunt, ex quibus variæ opiniones Theologorum ortæ sunt, quas in hoc capite expedire necessarium est. Prima est, quia non solum actualis gratia dicitur operans et cooperans, sed etiam gratia habitualis: at vero habitualis gratia non potest dici excitans vel adjuvans; ergo signum est hanc secundam divisionem esse distinctam a prima, et plura comprehendere. Major propositio est D. Thomæ, dicta q. 111, art. 2, ubi dicit gratiam habitualement, quatenus

formaliter sanctificat, esse gratiam operantem, quod sequuntur aliqui auctores ex allegatis in principio capitis præcedentis: potestque in ejus favorem induci Augustinus, libro secundo de Peccator. merit., c. 19, quatenus ait: *Nisi vitium adjuvante gratia superetur, ad justitiam nemo convertitur; nisi operante gratia sanetur, justitiæ pace nemo fruatur;* sanitas enim animæ confertur per habitualement gratiam, et tamen ait Augustinus per operantem gratiam fieri. Hæc autem objectio locum non haberet, si cum aliquibus modernis diceremus habitus gratiæ operativos esse gratiam excitantem, quatenus ad gratiam inclinant. Ille autem modus loquendi nobis in superioribus probatus non est, quia neque est consentaneus doctrinæ Augustini et Conciliorum de gratia excitante, nec inclinatio habitus est vera excitatio vitalis, quæ est proprius formalis effectus gratiæ excitantis.

2. *Explicatur ille loquendi modus.*—Respondeo igitur (licet forte sit quæstio de modo loquendi), juxta sensum Augustini habitualement gratiam non esse operantem; nunquam enim Augustinus locutus est de gratia habituali, quando dixit Deum in nobis sine nobis operari ut velimus, sed de actuali gratia excitante et vocante, ut alii graves Theologi moderni adnotarunt, Bellarmin., lib. 1 de Grat. et liber. arbitr., cap. 14, § *Hæc doctrina*, Vasquez, Valentia, et alii; loquitur enim Augustinus in illis locis de initio salutis contra Semipelagianos, quod non sumitur a gratia habituali, quam illi forte non negabant, sed a vocatione, inspiratione et illuminatione, ut Concilium Tridentinum dixit. Item prima gratia operans nullo modo est a nobis libere, nec dispositive, nec imperative, secundum Augustinum, qui ita loquitur de initio salutis: at prima gratia sanctificans pendet aliquo modo a nobis, saltem dispositive, imo et aliquo modo meritorie per fidem et poenitentiam, maxime juxta modum loquendi Augustini in Epistol. 106 et 107. In verbis autem allegatis, Augustinus, per sanantem gratiam, non intelligit solam habitualement, sed auxilium cujuscumque gratiæ sanctificantis, quia licet non conferat animæ formalem sanitatem, a culpa inchoat sanitatem dando vires quibus anima in Deum convertatur.

3. *Satisfit objectioni.*—Ad objectionem ergo respondeo etiam D. Thomam reliquosque Theologos citatos præcipue declarare illam divisionem de gratia actuali, voluisse tamen et commode potuisse illas voces accommodare ad

gratiam habitualement, secundum diversas rationes spectatam, de quo usu (ut dixi) contentendum non est; tum quia pertinet ad significationem et impositionem vocum; tum etiam quia omnis causalitas in quocumque genere vocari solet operatio, et ita habitus gratiæ, quatenus cum potentia operatur, optime dicitur cooperans, sicut etiam dicitur adjuvans: ut vero informat animam et illam formaliter sanctificat, vel bene disponit, potest dici operans, quamvis minus proprie, et non sine metaphora, qua etiam alii utuntur ad vocandum habitum gratiæ excitantem gratiam, quatenus inclinatur, quod, ut dixi, minus usitatum, magisque improprium, ac metaphoricum est.

4. *Secunda objectio: sequeretur primum actum esse a gratia cooperante, quod falsum est.*—Secunda difficultas est, quia ex declaratione a nobis data, sequitur primum actum, quo voluntas incipit velle bonum et odisse malum, vel quo voluntas peccatoris incipit libere converti in Deum, esse a gratia cooperante; consequens est falsum; ergo. Sequela nota est. Minor autem constat ex D. Thomæ, dicto articulo secundo, ubi dicit primum actum internum voluntatis, quo diligimus Deum super omnia, vel intendimus supernaturalem finem, esse tantum a gratia operante, actum vero externum esse a gratia cooperante. Intelligere autem videtur per actum externum, non solum externam motionem membrorum (quia illa secundum se non est supernaturalis, ut constat), sed internam voluntatem supernaturalem imperantem actionem externam, atque ideo omnem voluntatem quæ versatur circa media, ut est electio et usus. Ille enim modus loquendi consentaneus est D. Thomæ, prima secundæ, quæstione decima octava, articulo sexto, et alius non potest hic accommodari, ut constat. Ratio autem D. Thomæ fundatur in alia doctrina ejus, quod voluntas, ut est finis, non se movet, sed movetur ab auctore naturæ, in volitione autem mediorum jam se movet ex præconcepta intentione finis. Ita docet prima secundæ, quæstione nona, articulo quarto. Ita etiam hic inquit in intentione finis supernaturalis voluntatem se habere ut motam ab auctore gratiæ, et ideo motionem illam esse solum a gratia operante: in electione autem mediorum jam ipsam se movere, et ideo motum illum esse a gratia cooperante; et ita intelligit Augustinum, dicto lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 17, dicentem Deum operari in nobis sine nobis, ut velimus, scilicet, primum velle; cum autem volumus, et ita

volumus ut faciamus, cooperari nobiscum, id est, quando volumus, eligendo media efficaciter, et constanter exequendo illa.

5. *Confirmatur objectio.* — Eandem doctrinam habet D. Thom. in 2, distinct. 26, quæst. 2, artic. 5, eamque sequitur Cajetan., dicto artic. 2, in prima responsione, et expositione sua; addit vero in secunda, gratiam operantem versari circa actus qui non sunt meritorii de condigno, quia non procedunt ab habitibus; gratiam vero cooperantem dari ad actus meritorios. Hoc tamen posterius nec in divo Thoma habet fundamentum quod ego videam, neque est usitatus ille modus loquendi, ideoque admittendus non est. Eandem vero doctrinam simpliciter sequitur Soto, lib. 1 de Nat. et Grat., cap. 16, ubi etiam Augustinum ad eundem sensum trahit. Imo etiam Bellarmin., lib. 1 de Grat. et liber. arbitr., cap. 14, eandem sequitur sententiam, licet in verbis discrepet a D. Thoma, quia putavit illum de propriis externis actibus fuisse locutum. Et hac sententia abutuntur aliqui ex hæreticis hujus temporis, qui licet generaliter non consentiant cum Calvino et Lutero in neganda libertate, saltem primum actum conversionis dicunt non esse liberum, quia est a sola gratia operante, et ita non fit a nobis. Quapropter licet inter Catholicos in hoc non sit in re dissensio, et ideo in illa explicatione gratiæ operantis, forte sit solum controversia de verborum usu, nihilominus hoc tempore caute loqui oportet, remque ipsam satis explicare.

6. *Solvitur objectio concludendo primum illum actum esse a gratia cooperante, idque ostenditur primo ratione.* — Secundo ex Tridentino. — Persistendo igitur in sententia posita in capite præcedenti, dico primum actum dilectionis Dei super omnia, vel conversionis liberæ animæ in Deum, vel in quemcumque pium finem, non solum esse a gratia operante, sed etiam a cooperante. Prior pars sine controversia admittitur, et ideo, ut alteram probem, suppono hujusmodi actum esse perfecte voluntarium ac liberum, ideoque et a nostra voluntate, et effective, et cum dominio fieri: hoc est de fide definitum in Tridentino, et infra est late tractandum. Unde certum etiam est voluntatem non ita moveri ab alio, in illo actu, quin etiam ipsa se moveat, et physice, et aliquo morali modo: physice quidem, quia in se efficit motum illum, nihil enim aliud est movere se vel alium, quam in se vel in alio efficere motum. Moraliter vero, quia libere se movet, et motio libera moralis est, et ideo

talis actus potest esse meritorius de condigno, ut in puero baptizato perveniente ad usum rationis; vel saltem potest esse moralis dispositio, ut constat. Hinc ergo concludo talem actum esse propriissime a gratia cooperante, quia sine illa nihil supernaturale potest voluntas nostra libere operari, quod etiam patet ex verbis illis Concilii Tridentini, capite quinto: *Ad concertandum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponuntur.* Ecce ad ultimam dispositionem gratiæ cooperatur peccator; cui autem cooperatur, nisi gratiæ? Ergo illa dispositio est a gratia cooperante; est autem illa dispositio actus in finem tendens, ut constat; ergo. Idem confirmant verba canonis 3, in quo actus amoris Dei et conversionis dicuntur esse a gratia adjuvante, quæ eadem est cum cooperante, ut ostendimus.

7. *Tertio, ex Augustino.* — Præterea, hanc fuisse mentem et sententiam Augustini probamus ex illa sententia ejus 22, quam usurpavit Arausicanum capite nono: *Quoties bona agimus, Deus in nobis et nobiscum, ut operemur, operatur, per quæ verba concursus gratiæ operantis et cooperantis declaratur, et ad omnia opera bona, id est pietatis, postulatur.* Inter illa autem bona maxime computatur ipsa conversio et liber consensus ad vocationem, de quo consensu aperte loquitur Augustinus libro secundo contra duas Epistol. Pelagian., capite secundo, eum dicit: *Quamvis, nisi adjuvante illo sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen aperimus illius adjumento et opere nostro.* Aperire autem os vocat, consentire primæ gratiæ vocanti: unde subdit: *Nam quid est præparare cor et os aperire, nisi voluntatem præparare;* ergo illamet prima conversio et dispositio fit a Deo adjuvante; ergo Deo cooperante. Est ergo ille actus etiam a cooperante gratia. Præterea, in lib. de Grat. et liber. arbitr., capite decimo-septimo, loquens de primo amore, vel imperfecto, vel perfecto Dei, dicit: *Quis parvam dare cæperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incipit. Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Dicitur autem homo simpliciter velle, quod libera et efficaci voluntate vult; ergo talis voluntas, etiamsi sit prima, est a gratia cooperante. Unde e converso, quoties actus est a sola gratia, dicitur fieri a solo Deo, quia non fit a nobis libere, nam statim subdit: *Ut velimus, sine nobis operatur;* ergo, e contrario, quando actus

est liber, etiamsi sit primus, est a gratia cooperante; et ideo adjungit: *Cum autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, id est, cum efficaciter volumus, nobiscum cooperatur.* Et tandem concludit: *Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

8. *Confirmatur ex Prospero, Anselmo, Bernardo.* — Et in eadem sunt sententia Prosper, 2 de Vocat. gent., cap. 9, alias 26; et Anselm., in id 1 Corinth. 15: *Non ego, sed gratia Dei mecum;* et optime Bernard., in lib. de Grat. et liber. arbitr., in principio, ubi sic inquit: *Gratiæ operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum salvatur.* Consentire enim salvari est, utique secundum præsentem justitiam, vel si perseveratur. Igitur omnis consensus liber et supernaturalis præstitus gratiæ vocanti, seu operanti, sive sit penitentia, sive amor Dei, sive ipsa voluntas credendi, est a gratia cooperante, quia non cooperatur liberum arbitrium nisi gratiæ, ut sæpe dictum est. Unde tacite Bernardus exponit Augustinum ut, quoties dicit Deum operando incipere salutem in nobis, intelligatur de initio illo gratiæ vocantis, quod antecedit consensum, quia cum adest consensus, jam non est tantum initium salutis, sed salus ipsa, et ideo jam non solum Deus operatur, sed etiam nobiscum cooperatur; et ideo quoties Augustinus soli Deo tribuit operari ut velimus, loquitur de operatione per illuminationem et inspirationem, per quam moraliter Deus operatur ut velimus, etiamsi nos nondum velimus, donec libere consentiamus.

9. *Gratia operans datur ad finem et media.* — Unde etiam fit gratiam operantem non solum dari ad primum velle, seu ad intentionem finis, sed etiam ad electionem mediorum, et ad externos actus, seu volitiones efficaces eorum, quod probatur ex August., de Dono persever., cap. 13, dicente: *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur et velle; nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur et operari pro bona voluntate.* Et ita loquitur Scriptura: *Faciatis ut faciatis, et in præceptis meis ambuletis,* quæ verba, et opera externa et voluntates eorum, seu mediorum, comprehendunt. Denique ex tota doctrina Augustini, quæst. 2 ad Simplician., et de Spirit. et litter., cap. 34, et aliis locis, quæ infra tractando de Gratia efficaci ex professo ponderabimus, constat gratiam illam, qua Deus facit ut velimus vel operemur, operantem esse; ergo gratia operans non solum ad internum velle per modum intentionis, sed

etiam ad voluntatem exequentem et operantem est necessaria.

10. *Omnes actus supernaturales sunt ab utraque gratia operante et cooperante, sed diverso respectu.* — Quapropter non sunt ita distinguendæ istæ duæ gratiæ, ut quidam actus supernaturales sint ab una, et quidam ab alia, sed ita ut singuli sint ab utraque, diverso tamen modo, nam ab operante sunt præveniendæ et inspirandæ ut velimus et faciamus, a cooperante autem simul influendo cum voluntate, quando libere velle incipit. Et ideo quoad hoc non oportet distinguere inter actus supernaturales et antecedentes justificationem, quia non solum dispositiones proximæ, sed etiam remotæ ad justitiam, quatenus sunt actus liberi supernaturales, a gratia cooperante sunt simul cum operante, ut constat ex dictis. Et similiter non est necesse distinguere inter actus meritorios vel non meritorios, quia si sit sermo de merito de congruo, in omnibus actibus liberis et supernaturalibus, seu ex fide procedentibus, inveniri potest, juxta doctrinam Augustini, epistol. 105. Si vero sit sermo de condigno, dispositiones saltem remotæ ad justitiam non sunt meritoriae de condigno, nec ultima ut ordine naturæ antecedit gratiam, et tamen sunt ab utraque gratia, ut ostensum est. Fructus etiam justitiæ, qui sunt meritorii de condigno, non solum fiunt a gratia cooperante, sed etiam ab operante, seu antecedente, ut loquitur Tridentinum, sess. 6, cap. 16. Quæ omnia sunt consentanea his quæ supra de gratia excitante et adjuvante diximus, et ex illis necessario consequuntur, cum hæ gratiæ respective eadem sint, ut etiam docuimus.

11. *Ad objectionem ex sancto Thoma.* — Ad objectionem ergo concedimus sequelam, et ad D. Thomam, respondemus nunquam negasse doctrinam traditam, quatenus ad rem ipsam spectat. Nam quæst. 109, art. 6, expresse docet hominem disponere se ultimate ad gratiam per liberum arbitrium cum gratia Dei; idem autem est se disponere quod se movere; et quæst. 113, art. 6 et 8, inter requisita ad justificationem ponit motum liberi arbitrii, qui recte non potest esse ab ipso, nisi cooperante gratia Dei. Igitur in alio loco solum explicuit voces operantis et cooperantis gratiæ secundum aliam considerationem, et alium loquendi modum moraliter et physice accommodatum. Nam licet voluntas in omni actione libera se physice et moraliter moveat, quasi per antonomasiam dicitur se movere moraliter, quando non solum actionem, sed etiam prin-

cipium actionis a se habet. Atque hoc modo dicitur se movere in deliberationibus circa media, cum ex præconcepto fine ad consultandum de mediis se applicat: et in sensu huic opposito dicitur non se movere in prima intentione finis, non quia non efficiat libere illum intentionis motum, sed quia illum elicit ex inclinatione et motione accepta ab auctore naturæ, vel gratiæ. Et cum ea proportionem dicitur ille primus actus, etiamsi liber sit, esse peculiari modo a gratia operante, comparatione aliorum, qui sunt circa media eligenda, vel exequenda, non quia non sit etiam a gratia cooperante, sed quia in eo majorem vim et efficaciam habet influxus, et inspiratio gratiæ operantis; et cum eadem proportionem alii actus dicuntur esse a gratia cooperante, non quia non etiam fiant in virtute operantis gratiæ, sed quia non ita proxime et immediate sunt ab illa, sed mediante intentione, deliberatione ac consultatione, quæ cum operante gratia fiunt. In hoc ergo sensu sustineri potest ille modus loquendi D. Thomæ, de quo iterum in sequentibus redibit sermo. Accipiendus vero est, ut dixi, per quamdam vocem extensionem, seu accommodationem, nam proprius sensus sine dubio est quem antea exposuimus.

12. *Tertia objectio.*—*Gratia operans applicat efficaciter voluntatem ad velle, ex Augustino, quod non facit gratia excitans; ergo non sunt idem.*—Tertia difficultas est, quia gratia operans apud Augustinum est illa quæ efficaciter applicat voluntatem ad velle, ut ex locis citatis constat: sed gratia excitans non ita applicat voluntatem; ergo non sunt idem. Propter hoc Gregorius, in 2, distinct. 28, quæst. 4, conclus. 1 et 3, et distinct. 12, dicit gratiam operantem non esse excitantem, neque etiam adjuvantem, sed quamdam gratiam mediam, quam possumus vocare applicantem, quia secundum illum datur ad applicandam voluntatem excitatam, ut cum effectu velit, et quia solus Deus est qui applicat cum efficacia, ideo talis gratia dicitur operans. Cum qua opinione Gregorii in re videtur coincidere recentiorum sententia, de auxilio ita efficaci, ut physice prædeterminet voluntatem, quod necessarium esse dicunt ad omnes supernaturales actus, et a solo Deo in nobis fieri. Et ideo dicunt gratiam operantem esse, vel solum illud auxilium physice prædeterminans voluntatem, vel certe illud esse operans, quasi per antonomasiam, et ad hoc significandum vocant illam gratiam præoperantem, quæ vox apud Augustinum

(ut ego sciam) non invenitur, sed semel apud Prosperum in Epistola ad Augustinum, ut supra notavi. Unde inferunt gratiam operantem realiter distingui ab excitante; tum quia excitans non ita determinat voluntatem, sed operans illi additur, ut consentire faciat voluntatem; tum etiam quia excitans gratia non efficit physice consensum liberum: gratia vero operans illum physice facit et facere facit. Unde consequenter hanc eandem gratiam dicunt esse operantem, quatenus a solo Deo fit; cooperantem vero quatenus consensum simul cum voluntate facit. Atque ita concludunt operantem et cooperantem gratiam nec in re distingui, et indicant nunquam separari.

13. *Rejicitur hæc sententia.*—Sed hæc parum obstant doctrinæ datæ in præcedenti capite. Nam opinio Gregorii in primo libro a nobis rejecta est; altera vero sententia de gratia præoperante, efficaciter ac physice prædeterminante, in libro 5 ex professo tractanda et impugnanda est. Nunc breviter ad ea quæ P. Alvarez in disputat. 81 tangit, respondebo. Et imprimis dico ipsum non posse consequenter negare gratiam operantem, esse gratiam excitantem. Nam in disput. 74, num. 4, dixerat primam prævenientem et excitantem non esse actum vitalem: illa autem gratia, si datur, est gratia operans sine dubio, quia est gratia actualis, quam solus Deus operatur in nobis, quod ipse fatetur sufficere ad gratiam operantem; ergo illa gratia operans, et omnis similis motio prævia virtuosa et efficax, ut ille loquitur, est gratia excitans.

14. *Nunquam gratia operans distinguitur ab excitante.*—Unde fit ulterius nunquam distingui realiter gratiam operantem ab excitante, quia operans semper est excitans, juxta illius sententiam; et e contrario gratia excitans semper est operans. Nam festo datur aliqua gratia operans, quæ sit etiam physice cooperans, vel prædeterminans voluntatem, non tamen propterea dicendum est hoc esse de ratione gratiæ operantis, ut sic, quia, sine ulla dubitatione, actus vitales gratiæ excitantis sunt auxilia gratiæ operantis. Nam Augustinus, Prosper, Bernardus, et alii Patres, imo Concilia Tridentinum et Arausicanum, per illos actus dicunt Deum operari in nobis, sine nobis; et omnes moderni Scriptores hos actus imprimis ponunt inter gratias operantes, ut videre præcipue licet in Soto, Belarmino, Stapletonio, Valentia et Vega. Licet enim interdum alias significationes, vel etiam alios modos gratiæ operantis admittere

videantur, nihilominus primo loco sub eo genere ponunt motus gratiæ excitantis; ergo semper gratia excitans est operans, et e converso. Unde ulterius fit non recte dici eas realiter distingui, nisi forte eo modo quo una gratia excitans potest ab alia realiter distingui, quia etiam potest differre in modo excitandi, et operandi justificationem.

15. *Confirmatur.*—Addimus vero ulterius nullam talem dari gratiam operantem, quæ proprie et vitaliter excitans non sit; negamus enim dari motionem illam, vel auxilium efficaciter prædeterminans, quod ex parte in fine hujus libri probabimus, quatenus id tribui solet concursui generali Dei, partim in libro 5, quatenus id spectat ad proprium gratiæ auxilium quod efficax dicitur; de quo, ut præveniens est, ibi ostendemus non esse necessarium ut physice nos faciat consentire, vel ut ipsum consensum physice efficiat, sed sufficere ut moraliter id faciat; nam physicum principium aliud est, ut supra capite decimo-octavo ostensum est: præter principium autem, seu actum primum physice cooperantem ad factum, non est necessarium aliquid aliud physice concurrere præter Deum ipsum, per simultaneum concursum influentem, ut in discursu hujus libri ostendam. Nec huic doctrinæ obstat quod eadem gratia operans possit fieri cooperans, quia in gratiis actualibus satis est quod moraliter cooperetur, sicut de fide dixit Jacobus capite secundo, et Tridentinum, sessione sexta, capite decimo, cooperari operibus justorum, et sicut supra diximus, excitantem gratiam moraliter juvare; nam eodem modo loquendi est gratia cooperans, quæ nullo modo dici potest operans, scilicet, ipsum actuale auxilium imbitum in actione nostra, qua Deus operatur nobiscum: nam illud esse non potest sine nobis cooperantibus, et ita nullo modo potest esse gratia operans, sicut etiam ita est adjuvans, ut non sit excitans; et sic in omnibus servant illæ gratiæ proportionem, ut diximus.

16. *Gratia operans non est perpetuo efficax.*—Addo denique gratiam operantem non semper esse efficacem: nam inde feret esse inseparabilem a consensu, quod dici non potest. Probatur sequela. Primo ad hominem contra P. Alvarez, quia ille affirmat gratiam operantem physice infundi ante gratiam excitantem; at gratia excitans potest esse inefficax; ergo quoties gratia excitans est inefficax, etiam prior gratia operans est inefficax. Dicit forte illam gratiam operantem esse tunc inefficacem ad consensum, non vero ad ipsam ex-

citationem; sed hoc imprimis nihil est, nam etiam ipsa gratia excitans est efficax ad excitandum. Deinde ipse, in secunda conclusione, expresse loquitur de efficacia ad consensum efficiendum, et determinandam voluntatem ut illum præbeat, et absolute docet gratiam operantem habere illam efficaciam. Non est ergo illa efficacia de ratione gratiæ operantis, quidquid nunc sit, an aliqua gratia operans possit illam habere. Obiter tamen adverte cavendum esse aliud extremum dicentium gratiam operantem esse inefficacem, et solam cooperantem esse efficacem, quod sentit Palaci., in secunda, distinctione vigesima-sexta, dum ait Deum movere voluntatem efficaciter et inefficaciter, et quando movet efficaciter, gratiam esse cooperantem. Sed licet hoc posterius verum sit, quia gratia cooperans involvit hominis cooperationem, et ideo, quantum ad illum actum propter quem datur, semper est efficax, nihilominus illud prius non est verum, quia gratia operans abstrahit ab efficaci et inefficaci, sicut gratia excitans, vel vocatio, ut in libro quinto ex professo probabimus.

CAPUT XXII.

AUGUSTINI SENTENTIA DE GRATIA OPERANTE ET COOPERANTE AMPLIUS EXAMINATUR.

1. *Verba Augustini, quæ faciunt difficultatem.*—*Prima expositio.*—*Gratiam operantem esse motus liberos imperfectos, cooperantem esse motus liberos perfectos et meritorios.*—Quarta difficultas sumi potest ex celebri testimonio Augustini, lib. de Grat. et liber. arbitr., capite decimo septimo, quod censetur esse præcipuum hujus divisionis fundamentum; ubi autem prius dicit eum, qui vult servare præceptum, et non potest, habere voluntatem parvam, seu invalidam, quam vocat imperfectam charitatem; eum vero, qui et vult et potest servare præceptum, habere voluntatem robustam, quam e converso perfectam charitatem appellat. Et statim subjungit: *Quis istam, etsi parvam, dare cæperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apostolus: Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, et sic volumus*